Incipit prologus in librum erudicionis religiosorum

Erudire ierusalem ne forte recedat anima mea a te: ne forte ponam te desertam terram. et inhabitabilem. Iheremie sexto. Ierusalem secundum nominis interpretacionem. que est pacifica vel visio pacis: spiritualiter signat religionem: que tendit paci pectoris: et aspirat et aspirat ad pacem eternitatis. Unde in libro proposito deus hortatur ut erudiatur: et si erudiri noluerit. tamen mala ei comminatur: scilicet cordis sui recessum ab ea. desertum spiritualium bonorum: et desertum personarum. Primum ibi. ne forte recedat. secundum ibi. ne forte ponam te desertam terram: tercium ibi. inhabitabilem. Specialiter requirit deus cor viri religiosi: prouerbiorum xxiij Prebe fili mi cor tuum michi. Ideo custodie cordis multum debet intendere: prouerbiorum iiij° Omni custodia serua cor tuum. Sed multi religiosi facti sunt sicut columba seducta non habens cor: osee vij°. Defectu enim erudicionis. et prolixitate nimia vocalis oracionis. factum est ut multi ex eis. solis labiis deum honorent: ysaie xxix°. Secundum aliam literam. populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. Et quia deus cor eorum non habet: cor dei seu anima ab eis recessit. Qui religiones instituerunt. multum voluerunt: ut fratres lectioni intenderent. Unde beatus Benedictus ut habetur in eius regula. ad ociositatem vitandam anime inimicam. lectioni certo tempore aliquam partem diei dandam esse decreuit: reliquam vero partem labori manuum deputauit: exceptis dominicis diebus. in quibus voluit ut omnes vacarent lectioni: exceptis hiis qui variis essent officiis deputati. Mandauit etiam. ut tempore lectionis monasterium circuiret vnus vel duo de senioribus: ad videndum an aliquis esset qui lectionem negligeret. et alios a lectione impediret: et si quis talis inueniretur: voluit ut hoc non negligenter preteriretur: sed corriperetur semel et secundo: et si se non emendaret: tali correctioni subderetur ut ceteri timerent. Quidam vero sensum suum rectitudini regule preponentes. in quibusdam monasteriis neglecta lectione. et dimisso manuum labore. diuinum officium adeo prolongauerunt: quod fere totum diem in eo occupauerunt: in quo multum videntur errasse et a regula temere deuiasse: cum in eadem regula dicatur: ut in conuentu omnino breuietur oracio. Ipsi voluerunt facere vinarium sine aqua sapiencie salutaris: non attendentes id ysaie quinquagesimo. computrescent pisces sine aqua: et morientur in siti: cum iuxta verbum psalmiste deo psallendum sit sapienter. Quomodo sapienter psalletur: qui negligencia lectionis sapienciam non habet. Sicut enim dicit glosa super dictum verbum psalmiste: nemo

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

sapientem facit: quod non intelligit.
Item dicit beatus bernardus de eo qui orando
cum deo loquitur: quod debet loqui cum eo cum
reverencia et puritate et devocione.
Qualis vero fuerit irreverencia quando ille qui
orat propter pluritatem oracionis tedio affectus
deo decessum vertitur: et cum deprecetur deum
ut sibi intendat: ipse tamen nec deo nec
sibi intendit. Cum aliquis orando tota
die cum deo loquitur: vix est quod irreve-
rencia non admisceat. Familiaritas
enim: parere solet contemptum. Frequenter
etiam in oracione prolixa: puritas cordis
amittitur. Est enim ut frequentius sy-
matum: quod ex consuetudine sine cordis
attencione labia moventur. Interim vero
cor malis cogitacionibus repletur et
maculatur. ¶ Item psalmorum multitu-
dine vel oracionis pluritate intellectus
gravatur: et devocio spiritus exhauritur.
Ficulnea habens folia et non fructum ad
maledictionem salvatoris arida est
effecta: Math. xxi. Sic qui cottidie
folia verbalis oracionis habent in ore multo-
ciens inveniuntur aridi a gracie humore:
et ubi sunt verba plurima vocalis oracionis.
frequenter est egestas devocionis. ¶ Prete-
rea cum prolixitas mater sit fastidii:
monachi qui soli vacant oracioni: ut fre-
quenter fiunt fastidiosi et accidiosi. Unde
parum est deo gratum obsequium eorum. Theo.
Melior est quinque psalmorum cantatio
cum cordis puritate ac serenitate ac spiri-
tuali hylaritate: quam psalterii modulacio

cum anxietate cordis atque tristicia. ¶
Gracior est deo psalmodia et cantus
cordis quam oris: sicut apostolus psallebat
et psallere monebat. Psallam inquit
spiritu psallam et mente: prima ad co-
rinth. xiiii. Ad ephes. v. psallentes
et cantantes in cordibus vestris domino. Cum
loquimur cum deo dum oramus. et ipse
nobiscum loquitur dum legimus: non videtur
expediens nobis quod semper oremus: ita ut
non sit tempus in quo nobis loquatur deus:
cuius locucio locucioni nostre indubitanter
est preferenda. Item cum tria sint opera que ad
vitam contemplativam pertinent. leccio. oracio.
meditacio: leccio oracione et meditacione
diget. Unde ipsa deficiente. oracio redditur
deo execrabilis: secundum illud proverbiorum
xxviii. Qui declinat aurem suam ne
audiat legem: eius oracio erit execrabilis.
Meditacio vero deo efficitur abhominabi-
lis: subintrant enim inutiles mociones.
que perdunt suavitatem unguenti: presertim
cogitaciones a deo separantes. vel co-
gitaciones sine intellectu. fructum spiritus
impedientes. ¶ Ex defectu erudicionis
multa mala secuta sunt in monasterio:
de quibus decet tangere sufficiat. Primum
est reatus ignorancie: qui intrat macula
prima intrat: propter quod a dei ministerio
aliquis repellitur. levitici xxi. Dixit
est aaron. Homo de semine tuo per familias
qui habuerit maculam. non offeret panes
deo suo: nec accedet ad ministerium eius.

si cecus: fuit xx. Honor regis celestis in ministris suis iudicium discretionis diligit. psalmus xcviii. Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit. Inutilem dicit non intelligentem. Secundum est: immundicia 2m multa. Osee iiii. Non est scientia dei in terra. Et subdit: Maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt. Non est mirum si opera tenebrarum fiebant: qui in tenebris ignorancie erant. Quomodo enim immundiciam caverent: ubi quod esset immundum non agnoscebatur. Intantum non erat mirum si immundicia habundabat: ubi aqua sapientie deficiebat. Quomodo precepta regularia servarent: ubi non intelligebant. Quomodo servitium religionis tenere poterant: qui ceci erant. Difficilis est enim tenere servitium: quod tam latum et publicum. Mira fatuitas: vitam contemplativam ducere volebant: qui pre cecitate ad contemplandum impotentes erant: non intelligentes quod sicut ad activam non est ydoneus mancus: ita nec ad contemplativam cecus. Sicut oculus ~~corporis~~ corporalis absque luce corporali inutilis est: sic cecus contemplationem qui est oculus ecclesie. sine luce sapientie inutilis esse videtur. Tertium est: quod qui cum infirmitate mo- 3m nasteria intrabant. vel infirmitatem ibi incurrebant non curabantur. Sicut enim est salus. ubi multa consilia sunt. proverbiorum xxiiii: sic est mors ubi nulla sunt consilia. Quartum est: quod populi qui intrabant monasteria illa. non proficiebant: ymmo pre defectu cibi spiritualis peribant. Si enim petebant panem non erat qui frangeret eis: sed pre esurie et siti anima eorum in ipsis deficiebat. Quintum est. quod illi qui in monasteriis illis impugnabantur: vincebantur: cum non haberent gladium spiritus. scilicet verbum dei: quo hostes invisibiles maxime superantur. Hoc gladio vicit salvator temptatorem: mathei et luce iiii. Ipsi erant absque gladio: in fortiori parte belli. Religiosi enim fortissime a demonibus impugnantur. Sextum est: quod sacramenta conculcabant. Cum enim dignitatem et virtutem sacramentorum non agnoscebant: debitam ad ea reverentiam non habebant: sicut nec porcus reverentiam exhiberet margaritis. mathei vii. Nolite sanctum dare canibus: et margaritas nolite spargere inter porcos. Septimum est. corruptio symoniaca: tam in receptione fratrum. quam in institutione prelatorum. Peccatum symonie in multis monasteriis non reputabatur: quod tamen tantum est: quod comparatione ipsius cetera crimina pro nichilo reputantur: ut ait damasus papa. Octavum est: quod in multis monasteriis carnalitas vigebat. Cum enim fratres spirituales delicias non haberent: carnales querebant. Anima rationalis nobilissima creatura. ad eternas delicias creata: sine deliciis esse non potest. Nonum est: quod minima bona

magnis preponebantur ibi. ut pulchritudo exterior que est vana: interiori que est vera. 10 Decimum est: quia mala valde magna non timebantur: ut indigna celebratio: que occisioni christi comparatur. prima ad corinthios xi°. Quicumque manducaverit panem et biberit calicem domini indigne: reus erit corporis et sanguinis domini. Glosa ambrosii. In christi occisione penas dabit: id est ac si christum occideret punietur. 2m Secundum malum quod iuxta comminationem domini prepositum accidit religioni. erudiri nolenti est: defectus bonorum spiritualium. Homines enim inerudi ti. bona spiritualia non agnoscunt: ideo ea nec desiderant nec querunt: nec a datore eorum ea recipiunt: que indubitanter ea ipsis daret: si ea debito modo et desiderarent et quererent. Non enim avarus est. ut ea dare nolit: nec inops ut ea dare non possit. Sicut super omnem aquam est viriditas. et ad oram fluminis. ecclesiastici xl°. Sic ubi deest aqua sapientie. est ariditas bonorum scilicet spiritualium defectus. et quasi desertum. legitur deuteronomii viii°. de deserto per quod transierunt filii israel: quod nulle omnino erant ibi aque. Proverbiorum x°. Qui indocti sunt: in egestate cordis morientur. In doctrina non replebuntur cellaria: videlicet substantia preciosa atque pulcherrima. eiusdem xxiiii°. Cellaria nostra sunt corda: cellaria alia que nobiscum ferre non possumus non sunt nostra.

Ambrosius. Non sunt bona hominis: que secum ferre non potest. Substantia preciosa est dei gratia: cum una gutta gratie. plus valeat toto auro mundi. Pulcherrima non est: cum sit dei similitudo. 3m Tertium malum quod accidit religioni erudiri nolenti. est defectus personarum: quia fit solitudo. habitatio bestiarum non hominum. Ieremie iiii°. Intuitus sum: et non erat homo. Augustinus in libro de disciplina christiana. Beluinus est homo inanis a doctrina: qualia belue se cum hominibus sunt. Ibi exterius est forma humana: interius beluina. Statue religiosorum sunt ibi. Quarum figura fuit uxor loth in statuam versa: Genesis xix°. Statua est corpus sine spiritu: interioribus homini assimulatur: interiora non hominis illi desunt. Cum domus religiosorum ad hoc instituta sit: ut sit locus salutis: ut scilicet homines salutem suam facile ibi operentur: inhabitabilis fit cum locus dampnationis efficitur: ut vix aliquis ibi salvetur: cum scilicet multitudo ibi impellitur ad dampnationem: et pauci vel nulli a dampnatione retrahuntur: vel ad salutem trahuntur. Cum igitur deo multum placeat: et religioni multum expediat: ut ipsa erudiatur: ego in ordine fratrum predicatorum minimus. de benignitate salvatoris. non de propriis viribus confisus: presens opus ad dei gloriam et humilium profectum compilare volui. in quo aliqua ad

religionem pertinentia in septem libris diffu
sa breviter collegi: ut unusquisque religiosi
hominis que ad statum eorum pertinent: facili
us valeat erudiri. Predictum opus in sex
libros distinxi: ut ea que in eo continentur
~~fit~~ facilius inveniant: et melius in
memoria teneant: et ut mens lectoris
a continuatione quodammodo relevetur. Sic
enim dicit Augustinus: ita libri termino refi
citur intentio lectoris: sicut labor via
toris hospicio. Primus liber ordinat
religiosum ad mundum. Secundus ordi
nat corpus eius ad spiritum. Tercius instit
uit eum contra adversarium. Quartus or
dinat animum. Quintus ordinat
ad proximum. Sextus agens de
quiete in deo. consummat tractatum

Primus liber **Divisio primi**
dividitur in quatuor partes. **libri**
Prima vero religioso gratiam re
ductionis de seculo a deo factam indicat.
Secunda ad gaudendum de muta
tione status secularis in statum religionis
invitat. Tercia monet ut eductus de
seculo nec corde nec corpore ad seculum re
deat. Quarta monet ut nichil
mundi retineat. **Incipiunt capitula que sunt xv**

Prima pars continet
octo capitula. In primo ostenditur
quod eductus de seculo. teneatur sit gratiam in
eductione sibi factam agnoscere. i In
secundo agitur de mundi tenebrositate
ii In tercio de mundi falsitate iii In
quarto de bonorum temporalium modicita
te iiii In quinto ostenditur quod bona temporalia
maiorum bonorum sint impedimenta v In
sexto tangitur de velocitate transitus bonorum
mundi. vi In septimo de cruciatu mundi
vii In octavo de eius periculo viii Secunda
pars complectitur virtute non dividitur. et
est pro uno capitulo ix Tercia pars continet
tria capitula. In primo ostenditur quod redi
tus ad seculum multum sit timendus x In
secundo tanguntur multa huius reditum dis
suadentia xi In tercio ostenduntur que vires
ad stabilimentum viri religiosi valen
cia xii Quarta pars continet tria capitula.
In primo ostenditur multis rationibus quod
intrans religionem nichil mundi de
beat retinere. xiii In secundo quod debeat re
linquere xiiii In tercio quod furtum proprietatis
sit valde detestabile xv **Divisio secundi**

Secundus liber dividitur **libri**
in tres partes. In prima agitur
de disciplina in communi. In secunda de hiis
que valent ad optinendam disciplinam.
In tercia de partibus discipline. **In-**

Prima pars **cipiunt capitula que sunt xv**
continet quinque capitula. In
primo ostenditur quod corpus nostrum sit dis
ciplinabile. In secundo quod cura novicii
primo circa disciplinam corporis debeat
esse. In tercio novem discipline . ir